



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LX. Ad pag. CXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

tatur: quoniam nempe ejus ætate isthæc jam desierant. Sitanci
ti verò est, licet hinc discere, fuisse talia factitata tunc & initio
& fine imò & medio tempore studiorum Juris: quæ nempe
ex Justiniani instituto certo annorum numero erant circum-
scripta. Perindigna autem fuisse illa omnia, indicat gravis
delinquentibus indicta poena. ΑΦοριζέθω enim ait Canon:
quod est, communione sacra excludi. Non abs re fuerit con-
ferre quæ in Dissertatione pag. 122 annotavimus ex l. 3 Cod.
de veteri jure enucleando. Enimvero, insignem etiam tunc
fuisse peculantiam Juris studiosorum, simulque ipsis Pro-
fessoribus fuisse illusum non solis juvenibus, & ludos istos
in crimina transiisse, ac proinde meruisse vindicari, Constan-
tinopoli quidem à Præfecto Urbis, Beryti autem à Præside
Phœnicie maritimæ, Episcopo civitatis, & Legum Professo-
ribus, liquet ex ipsamet Justiniani Imperatoris constitu-
tione.

Haud inanis fortè suspicio est, omnia hæc instituta quasi
ad exemplum mysticarum initiationum: quales fuerunt
olim non tantum in Ægyptiorum, Græcorum, aliorumque
gentilibus sacris, sed etiam in monachorum claustris, imò ipsis
met ubique receptis Christianorum ritibus. Quam in rem
quæ observavit Lucas Holsteinius ad vitam Pythagoræ pag. 71
editionis Londinensis, eximia sua eruditione promerentur, &
legi & cum cura expendi ut reliqua omnia.

SUPPLEMENTVM LX.

Ad pag. cxxiii.

IAm pridem à viris Ebraicè doctissimis ex Thalmudicâ
Gemara ad Tit. Megilla, hæc fuerunt adducta: *Synagogæ*
erant Hierosolymæ quadringentæ octoginta: in harum qualibet ha-
bebatur bibliotheca, & domus doctrinæ. Bibliotheca ad lectionem
scripturæ sacræ: Domus doctrinæ qua doceretur Mischna. Has
autem

autem universas sustulit Vespasianus. Idem ex Gittin memoraverunt, in urbe Bitter, quæ item cruentâ clade à Romanis perdita est, fuisse synagogas quadringentas, ut alibi alias. Et verò in primis olim celebraræ Jafnensis, Zephoriæ, Cæsariensis & Tiberiensis. De Bitterensi quæ narrant Judæi talia sunt, ut fidem non mereantur: singulas nempe synagogas habuisse quadringentos magistros, & quemlibet magistrorum quadringentos auditores. Reapse tamen magis insana sunt mendacia quæ jactant Judæi de suo R. Hillel & Rabbi Akiba. Illi nempe fuisse aliquot auditorum millia: quorum octoginta ita eminuerint, ut triginta fuerint digni divina conversatione ad instar Mosis, triginta alii digni in quorum honorem sol subsisteret Josuæ exemplo, reliquis excelsum nomen inter doctos obtinentibus: Akibam audivisse discipulos viginti quatuor mille. Mitto similes alias Judæorum portentosas fabulas. Videtur autem, si non omnes illas synagogas veteres, quæ ita laudantur à Thalmudicis, saltim plerasque, fuisse Pharisæicas: quoniam illa secta & Thalmudicos & reliquos post Judæos infecit. Non enim Sadducæi potuerunt admittere in scholis suis Mischnam, utpote quæ tota sit Pharisæica. In omnibus porrò paulò majoribus oppidis fuisse saltim aliquam synagogam, recte colligunt eruditi ex hisce verbis Tituli Megilla: *Quænam est civitas magna? Ea, in qua erant decem homines otii: si hoc numero minor, jam vicus est.* Homines nempe otii sunt doctores synagogici. Verùm non licet tuto Thalmudicis narrationibus fidere.

SUPPLEMENTVM LXI.

Ad pag.cxxiv.

NO tavimus in Dissertatione, sedisse quondam doctores Judaicos in cathedra editiore: auditores porrò sedisse in terra quasi ad pedes magistrorum, jam pridem à multis est

Yy. 2

obser-